



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita B. Francisci Xaverii

Torsellini, Orazio

Coloniae Agrippinae, 1610

IV. De Antonij Criminalis martyrio cognoscit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42323

aggregati. Et hoc exemplo alij ad implorandam Xauerij opem, Christi que fidem experendam, accensi. Inter quos leprosus fuit honesto loco natus. Hic certum hominem ad Franciscum allegauerat, rogans ut ad se curandum accederet. Et ille legatione benignè audita, occupationes excusans, eò vnum ex comitibus suis miserat, monitum quid facto opus esset. Is igitur ægrum, ex Francisci præscripto salutatum, ter interrogat, num fieri velit Christianus? annuentem manu in crucis morem ducta protinus signat. mira dictures: subito crux lepram absterfit. Quocirca ille Christianis præceptis imbuitur, ac deinde baptismo lustratur. Hæc in Canogoximæ ciuitatis oculis gesta, cum alij, tum Vincentius Pereira Lusitanus Nauarchus in India Francisci Socijs enarrauit, grauis quamuis magnæ rei auctor, idemque Xauerij, ut proditur, familiaris.

CAPVT IV.

De Antonij Criminalis martyrio cognoscit.

LÆTVM rei Christianæ successu Xauerium haud leui dolore affecerunt. Literæ eisdem ferè diebus ad eum ex In-

dia perlate, ex quibus de Antonij Crimi-
 nalis morte cognouit. Is (vt supra osten-
 dimus) Comorino promontorio à Fran-
 cisco præpositus, re Christiana per qua-
 driennium præclarè gesta, anno 1549.
 haud multò priùs, quàm in Iaponiã ap-
 pulit Xauerius, martyrij decus laborum
 suorum præmium adeptus est. Nam cùm
 magna Badagarum manus, Christianæ
 religionis odio accēsa, ex finitimo regno
 Bisnagæ Comorinēsem populabūda in-
 ualisset oram; Christiani, vt in re trepi-
 da, tecta protinus & vicos deserere; ad
 naues Lusitanorum, quæ tum fortè ade-
 rant, pro se quisque confugere cœperunt.
 Ibi in maximo puerorum ac mulierum
 tumultu Antonius, multis simul anxius
 curis, hortabundus fugam trepidantibus
 expedire, instare cunctantibus, imbecil-
 lis opem ferre. Inter hæc aduentante ho-
 ste, veritus ne fortè neophytorum ali-
 quos à barbaris interceptos tormento-
 rum acerbitas à Christi fide abstraheret;
 decreuit, si res posceret, *bonus pastor a-* Ioan. ix.
nimam suam dare pro ouibus suis. Inui-
 tabatur à Lusitanis in sua nauigia, vt præ-
 sens periculum effugeret: sed ille, sui
 oblitus, suorum consulebat salutem, pue-
 ros maximè ac mulieres, quorum imbe-
 cillitas propior periculo erat, in tutum

*Antonij
Crimina-
lis marty-
rium.*

recipere festinans. Ita dum alios à Barbarorum crudelitate vindicat, ipse Interuentu hostium interclusus à nauibus, in præcursores incidit. Tum ille Dei amore ardens, æternæque magis quam huius vitæ memor, positus humi genibus, tollensque manus in cælum, incredibili fortitudine offert se neci. Neque barbarorum sæuitia eius virtuti defuit. Tribus hastis confossus, mortem occubuit. Feritur, cum grauius vulneratus spoliaretur, ipse in veste detrahenda prædones illos ultro iuuisse, ne vestis tenacior esset, quàm vitæ. Hic nuncijs variè (quod necesse fuit) animum affecit Xauerij. Nam & tali se adiutore priuatum doluit, & tanto eiusdem bono, velut paris decoris sibi quoque destinati pignore, mirè lætatus est. Itaque lacrymis simul & laudibus debitis tam memorabilem sancti viri mortem prosecutus, sperare cœpit, agrum illum, martyris rigatum sanguine, vberiores in dies foetus editurum. Nec Xauerij spem rei deinde fefellit euentus. Ex eo tempore nusquam lætiores extiterunt, quàm in ora Comorinensi, Euangelij fruges; adeò multiplex subinde soboles orta neophytorum, non facilitate magis, quàm pietate præstantium.

CAPVT